

Ch. 1183. Idem Lucius III. institutum Crucigerorum Templi Hieros. confirmat.

Lucius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis Ranoldo, Magistro religiosae militiae templi, quod Ierosolymis situm est, eiusque fratribus tam praesentibus, quam futuris. I. N. P. P. M. Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio. Proinde dilecti in Domino filii, de vobis, et pro vobis Omnipotentem Dominum collaudamus, quum in vniuerso mundo vestra Religio, et veneranda institutio nunciatur. Cum enim natura essetis filii irae, et seculi voluptatibus dediti, nunc per aspirantem gratiam Euangelii, non surdi auditores effecti, relictis pompis secularibus, et rebus propriis, dimissa etiam spatiosa via, quae ducit ad mortem, arduum iter, quod ducit ad vitam elegistis, atque ad comprobandum, quod in Dei militia specialiter computemini, signum viuificae Crucis in vestro pectore assidue circumfertis. Accedit ad hoc, quod tanquam veri, atque instructissimi diuini praelii Bellatores, verae charitatis flamma succensi, dictum Euangelium operibus adimpletis, quo dicitur: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vnde cum, iuxta summi Pastoris vocem, animas vestras pro fratribus ponere, eosque ab incursibus paganorum defensare minime formidetis, et cum nomine censeamini milites, constituti estis a Domino Catholicae Ecclesiae defensores, et inimicorum Christi impugnatores. Licet autem vestrum studium, et laudanda deuotio, in tam sacro opere, toto corde, et tota mente desudet, nihilominus tamen vniuersitatem vestram exhortamur in Domino, atque in peccatorum remissionem, auctoritate Dei, et Beati Petri Apostolorum Principis, tam vobis, quam seruatoribus vestris iniungimus, vt pro tenenda Catholica Ecclesia, quae est sub Paganorum tyrannide, de ipsorum spurcitia eruenda; expugnando inimicos Crucis, inuocato Christi nomine, intrepide laboretis. Ea enim, quae de ipsorum spoliis ceperitis, fidenter in vsus vestros conuertatis, et ne de his contra velle vestrum portionem alicui dare cogamini, prohibemus; statuentes, vt Domus, seu templum, in quo estis ad Dei laudem et gloriam atque defensionem suorum fidelium, et liberandam Dei Ecclesiam congregati, cum omnibus possessionibus, et bonis suis, quae in praesentiarum legitime habere cognoscitur, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, vel Principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, perpetuis futuris temporibus, sub Apostolicae Sedis tutela et protectione existant. Praesenti quoque decreto sancimus, vt vita religiosa, quae in vestra domo est, diuina inspirante gratia, instituta ibidem inuiolabiliter obseruetur, et fratres inibi Omnipotenti Domino seruietes, caste, et sine proprio viuant, et professionem suam dictis et moribus comprobantes, Magistro suo, aut quibus ipse praeceperit, in omnibus et per omnia subiecti et obedientes existant. Praeterea quemadmodum domus ipsa huius sacrae vestrae institutionis et ordinis fons et origo esse promeruit, ita nihilominus omnium locorum, ad eam pertinentium caput, et magistra in perpetuum habeatur. Ad haec adiicientes praecipimus, vt obeunte te, in Domino dilecte fili Arnolde, vel tuorum quolibet successorum, nullus eiusdem domus fratribus praeponatur, nisi militaris et religiosa persona, quae vestrae professionis habitum sit professa, nec ab aliis, nisi ab omnibus fratribus insimul, vel a saniori et puriori eorum parte, qui proponendus fuerit, eligatur. Porro consuetudines, ad vestrae Religionis et officii obseruantiam a Magistro et fratribus communiter institutas, nulli ecclesiasticae, secularique personae infringere, aut minuere sit licitum; easdem quoque consuetudines, a vobis aliquanto tempore obseruatas, et scripto firmatas, non nisi ab eo, qui Magister est, consentiente tamen saniore parte capituli, liceat immutari. Prohibemus autem, et omnimodis interdiciamus, vt fidelitates, hominia, siue iuramenta, vel reliquas securitates, quae a secularibus frequentantur, nulla ecclesiastica, secularisue persona a Magistro et fratribus eiusdem domus exigere audeat. Illud autem scitote, quod sicut vestra sacra institutio, et religiosa militia, diuina est prouidentia stabilita; ita nihilominus nullius vitae religiosioris obtentu ad locum alium vos conuenit transuolare; Deus enim, qui est incommutabilis et aeternus, mutabilia corda non approbat, sed potius sacrum propositum, semel inceptum, perducere vult vsque ad finem debitae actionis. Quot et quanti sub militari cingulo et clamide terreni Imperii Domino placuerunt, sibi quoque memoriale perpetuum reliquerunt. Quot et quanti in armis bellicis constituti, pro testamento Dei, et paternarum legum defensione suis temporibus fortiter dimicarunt, atque manus suas in sanguine infidelium Domino consecrantes, post bellicos sudores aeternae vitae brauium sunt adepti. Videte itaque vocationem vestram, fratres tam milites, quam seruietes, atque iuxta Apostolum, vestrum vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Ideoque fratres vestros deuotos, atque in sacro vestro collegio receptos, post factam in vestra militia professionem, semel assumptam Crucem

Dominicam, et habitum vestrae professionis abiicere, vel ad alium locum, seu etiam monasterium maioris, siue minoris religionis obtentu, inuitis, seu inconsultis fratribus, aut eo, qui Magister extiterit, liceat transmigrare, nullique ecclesiasticae personae ipsos suscipiendi, aut retinendi licentia pateat. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus, vel sumtibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere praesumat. Ceterum decimas, quas consilio, et consensu Episcoporum de manu Clericorum, vel laicorum habere poteritis, illas etiam, quas consentientibus Episcopis, et eorum clericis aquiretis, vobis auctoritate apostolica confirmamus. Vt autem ad plenitudinem salutis, et curam animarum vestrarum, nihil vobis desit, et Ecclesiastica Sacramenta, et diuina officia, vestro sacro collegio commodius exhibeantur, simili modo sancimus: vt liceat vobis honestos Clericos et Sacerdotes, secundum Deum, quantum ad vestram scientiam ordinatos, vndecunque ad vos venientes, suscipere, et tam in principali vestra domo, quam etiam in obedientiis, et locis sibi subditis, vobiscum habere; dummodo, si e vicino sunt, eos a propriis Episcopis expetatis; iidemque nulli alii professioni, aut ordini teneantur obnoxii. Quodsi Episcopi eosdem vobis concedere forte noluerint, nihilominus eos suscipiendi et retinendi auctoritate 214 Sacrae Romanae Ecclesiae licentiam habeatis. Si vero aliquis horum post factam professionem turbatores religionis vestrae, aut Domus, vel inutiles fuerint fortassis inuenti, liceat vobis eos cum saniori parte capituli amonere, eisque transeundi ad alium Ordinem, vbi secundum Deum viuere voluerint, licentiam dare, et loco eorum alios idoneos substituere, qui etiam vnus – – – – vestra societate prohibentur. – – – – – etiam tales fuerint ad sanitatem vestram inuenti, tunc demum professionem faciant regularem, promittentes se regulariter viuere, ac Magistro proprio obedire, ita tamen, quod eundem vobiscum victum, et vestitum habeant, nec non lectisternia, hoc excepto, quod clausa vestimenta portabunt; sed nec ipsis liceat de capitulo, vel cura domus vestrae se immittere temere, nisi quantum a vobis fuerit eis iniunctum; tantum quoque curam habeant animarum, quantum a vobis fuerint requisiti. Praeterea nulli personae extra Capitulum vestrum sint subiecti. Tibique in Domino fili Arnolde, tisque successoribus, tamquam magistro et praelato suo, secundum statuta Ordinis vestri obedientiam deferant; consecrationes vero Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad sacros Ordines fuerint promouendi, et cetera ecclesiastica Sacramenta, a Diaecesanis suscipiatis Episcopis, si quidem catholici fuerint, et gratiam atque apostolicae sedis communionem habuerint, et ea gratis, et absque prauitate aliqua voluerint vobis exhibere, alioquin liceat vobis catholicos, quoscumque malueritis adire Antistites, qui nostra freti auctoritate, quae postulatur indulgeant. Clericos autem pro pecunia praedicare, aut lucro, vosque pro 215 eiusmodi causa eos ad praedicandum mittere prohibemus, nisi forte Magister templi, qui pro tempore fuerit, certis ex causis id faciendum esse decreuerit. Si quando vero loca deserta fuerint, eidem venerabili Domino (Domui) ab aliquo pia deuotione collata, liceat vobis ibidem villas aedificare, Ecclesias et coemeteria ad opus hominum ibidem manentium fabricare; ita tamen, vt in vicinia illa Abbatia, vel Religiosorum Virorum Collegium non existat, quae ob hoc valeat perturbari. Cum autem terrae cultae vobis quolibet iusto titulo conferuntur, facultatem et licentiam habeatis ibidem Oratoria construendi, et cimiteria faciendi ad opus transeuntium, et eorum tantummodo, qui de vestra fuerint mensa: indecens enim est, et aliorum periculo proximum, religiosos fratres occasione adeundae Ecclesiae virorum turbis et mulierum frequentiae immisceri. Quicumque sane in vestro Collegio suscipiuntur, stabilitatem loci, conuersionem morum, seque militaturos Domino diebus vitae suae sub obedientia Magistri templi, posito scripto super Altare, in quo contineantur ista, promittent. Decernimus ergo, vt receptores vestrarum fraternitatum, siue collectarum, saluo iure Dominorum suorum, in beati Petri et nostra protectione consistant, et per terras, in quibus fuerint, pacem habeant. Simili modo sancimus, vt quicumque fuerit in vestra fraternitate receptus, si forte Ecclesia, ad quam pertinuerit, a diuinis officiis erit prohibita, eumque mori contigerit, eidem sepultura Ecclesiastica non negetur, nisi excommunicatus, vel nominatim fuerit interdictus. Praeterea si qui fratrum vestrorum, qui ad accipiendas easdem fraternitates vel collectas a nobis fuerint 216 missi, in quamlibet ciuitatem, Castellum, vel vicum aduenerint, si forte locus ipse a Diuinis officiis sit interdictus, pro omnipotentis Dei reuerentia, et eorum iucundo aduentu, semel in anno aperiantur Ecclesiae, et exclusis excommunicatis, diuina ibi officia celebrentur. Statuimus etiam, vt nulli Episcopo, in Ecclesiis, vobis vtroque iure subditis, interdicti, aut ex communicationis sententiam liceat promulgare. Verum tamen si generale interdictum fuit in locis illis prolatum, exclusis excommunicatis, et nominatim interdictis, clausis ianuis, absque signorum pulsatione, plane diuina officia celebretis. Decernimus insuper auctoritate apostolica, vt apud quemcunque locum vos venire contigerit, ab honestis et catholicis poenitentiam, vnctiones, seu alia quaelibet sacramenta, ecclesiastica vobis suscipere liceat, ne forte ad perceptionem spiritualium bonorum vobis quidpiam deesse valeat. Quia vero omnes in Christo vnum sumus, et non est personarum differentia apud Deum, tam remissionis peccatorum, quam alterius beneficentiae atque

Apostolicae benedictionis, quae vobis indulta est, etiam familiam, et seruiantes vestros volumus esse participes. Nulli ergo omnino hominum liceat praedictum locum temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conseruentur, vestris, aut aliorum Dei fidelium vsibus omnimodis profutura. Salua in omnibus Apostolicae sedis autoritate. Si quis igitur nostrae Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentauerit, secundo tertio commonitus, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, 217honorisque sui dignitate careat, reumque se diuino iudicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sanctissimo corpore et sanguine Dei et Redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine diuinae vltioni subiaceat. Conseruantes autem haec omnipotentis Dei et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius benedictionem, et gratiam consequantur, Amen. Datum Velletri per manum Alberti, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbiteri Cardinalis et Cancellarii IV. Kalendas Maji Indictione prima, Incarnationis Dominicae Anno Millesimo centesimo octuagesimo tertio, Pontificatus vero Domini Lucii Papae tertii Anno secundo.

E MSS. Heuenessianis Crucigerorum Tomo I. p. 15. Kaprinai MSS. Tom. XXXVII. p. 74.